stanti oblitus est passionum preteritarum quas paulo ante passus erat re
spiciensque vidit patriam vincere splendorem solis propria clarita
te. cumque iterum semetipsum staret admirans de pulchritudine vidit
multitudinem nimiam procedere obviam sibi cum ramis palmarum.
Qui omnes recipientes illum in pace domini atque congaudentes ei quod dominus
ipsum victorem demonum constituit. ipsique domino nostro ihesu christo inmensas
laudes atque innumerabiles referebant. Ibique vidit homines diversi generis
de omni ordine religioso diverse etatis utriusque sexus alios. quoque episcopos alios
quoque archiepiscopos. vidit ibi monachos clericos virgines viduas et
coniugatos omnes indutos sanctis vestibus et unusquisque qualis fuit in seculo
talis et hic apparuit. cumque benigne ab omnibus salutatus esset duo ar
chiepiscopi ut sibi videbatur recipientes illum ad manus cum processione que ve
nerat reversi sunt. finito processu duo predicti archiepiscopi ducentes il
lum secessum ostendebant ei terram amenissimam diversis floribus et arbo
ribus fructuumque omni redimitam quorum odore suavissimo vivere poter
ant qui ibi mansuri erant sine fine. nec iste parte non poterat considerare
pre magnitudine dilectionis ubi non erit nox set sine fine dies perpetua
est quod splendor purissimi celi illam terram illustrat et iubare suo
et tanta multitudine virorum ac mulierum vidit quod nullo modo potest
computari. Verumtamen alii hic alii illuc suam societatem distinctam
habebant ita tamen quod qui volebant isti illic atque illi istic transire
cum immensa leticia poterant. chorus chorus assistebant plena
dulcisque armonie concentu deo laudes resonabant. Sicut stella differt
ab stella ita fuit quedam diversa in pulchritudine bonorum tam in vul
tu quam in vestitu. alii induti sunt vestitu aureo alii vi
ridi alii colore purpureo alii iacinctino alii ceruleo alii can
dide alii rubeo alii virdebant. quidam reges alii portabant et
palmas in manibus. In hiis fuit visus delectabilis suavissimi o
doris auditusque armonie suavis et dulcis undique audivit sanctorum con
centum laudes deo resonancium singuli gaudebant de propria felicitate